



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avgvstini Barbosæ I. V. D. Lvsitani, Protonotarii, Et  
Ivdicis Apostolici designati pro Tribunali Nunciaturæ  
Hispaniæ, ac insignis Ecclesiæ Vimaransenis Thesaurarij  
Maioris, Collectanea Doctorvm, Qui ...**

**Barbosa, Agostinho**

**Venetiis, 1643**

4. Nullus Clericus est exemptus à correctione Episcopi residentis etiam extra visitationem agentis tanquam sit deputatus à Sede Apost.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14108**



- ganeus alterius Episcopi deputatus, cui annua pensio 200. aureorum super fructibus Episcopatus, cuius est suffraganeus, referuata fuit, illam accipere debet, quatenus inferuat, aliàs assignanda est successoribus inferuentibus, ita Aldan. in compendio Canonie. resolut. lib. 1. tit. 4. num. 3. vbi refert ita decifum sub die 11. Junij 1592.
3. *Etiam si in loco nullius diocesis, &c.* In loco exempto intra fines certa dioceseos exiftenti non posse Episcopum diocesanum etiam à superiore loci exempti Ordinario accersitum Pontificalia exercere, nisi de licentia Episcopi loci, intra cuius fines locus huiusmodi exemptus fuerit constitutus, refert resolutum Aldan. citato loco.
4. *Etiam proptextu familiaritatis, &c.* Episcopus Titularis familiaritatis ratione neminem ordinare potest, vide Salzed. ad Bernard. in pract. cap. 26. lit. C. in gloss. sine licentia sui præsulis, vers. tertius casus est, Piafec. citato loco, Aloyf. Ricc. in collect. decif. p. 3. collect. 596. Et in praxi rerum fori eccles. resolut. 266. num. 2. vers. limita 2. in 2. edit. Campan. in diuers. iuris Canon. rubr. 9. cap. 9. num. 6. Nouar. in sing. canon. conclus. 103. num. 7. Alzed. d. num. 40. m. plurimum de offe. & potest. Episcopi. p. 2. alleg. 5. num. 17. Narbona l. 35. gloss. 1. num. 32. tit. 3. lib. 1. Recop. Cardof. in praxi iudic. verb. Sacramentum Ordinis. num. 26. Marcel. V lpe in praxi fori eccles. cap. 7. num. 18. in fine, Marchin. de Sacram. Ordinis tract. 1. p. 5. c. 9. num. 16. Torreblanca de iure spirit. lib. 2. c. 13. num. 14.

8. Absque sui proprii Prælati, &c. ] Vel Vicarij eius, aut Officialis, vt refert decifum Sbroz in addit. ad suum tract. de officio Vicarij lib. 2. quæst. 41. Præsumptam probari licentiam à proprio Episcopo in fauorem Clerici, qui ab alio Ordines assequutus est, eo ipso quod non inquietat eum, vt per Stephan. Gratian. discept. forens. cap. 210. nu. 52. Narbona l. 10. gloss. 3. num. 2. tit. 6. lib. 1. Recopilat.

9. Expreso consensu. ] Ergo non sufficit tacitus, Narbona l. 59. gl. 1. num. 22. tit. 4. lib. 2. Recop. D. Felician. de Vega in relect. c. significasti, num. 32. de foro compet.

10. Ab exercitio Pontificalium per annum, &c. ] Vide Salzed. d. vers. tertius casus est, Tolet. in instruct. Sacerd. lib. 1. c. 89. vers. tertio, Henriq. in sum. lib. 13. de excommunic. c. 38. vers. secundo Episcopus, Thom. Valasc. allegat. iuris tom. 1. alleg. 45. nu. 18. Bonacin. de censur. disp. 3. q. 6. p. uic. 5. num. 21. Campan. in diuers. iuris Canon. rubr. 9. cap. 5. quos refero Ego ipse d. allegat. 6. num. 4. vbi numeris seqq. habentur quæ Pontificalium nomine veniunt.

11. Taliter verò promoti, &c. ] Ordinatos ab Episcopo titulari sine consensu proprii Episcopi ipso iure suspensos esse, donec à suo Prælato aliud visum sit, tenent Salzed. ad Bernard. c. 26. in verb. sine licentia sui Præsulis, vers. eorsus casus est. Henriq. in sum. lib. 13. c. 38. vers. secundo Episcopus, quos refert & sequitur Thom. Valasc. tom. 1. allegat. 45. num. 18.

*Episcopus suos Clericos ab alio malè promotos non ante admittat ad Officia celebranda, quàm eos suo præuio examine dignos iudicauerit.*

C A P V T I I I.

1. Procedit hoc decretum quando propter absentiam, vel aliud legitimum impedimentum examen ab Ordinario fieri nequit.
2. Examinati, & probati ad sacros Ordines à prædecessoribus Episcopis nõ cõprehenduntur sub hoc decreto, nisi noua causa post promotionem superueniat.
3. Episcopus non potest examinare promotos à suo antecessore, nisi post promotionem aliqua noua causa superuenierit.
4. Episcopus ille, cui examinatus, & approbatus ordinandus dimittitur, an possit iterum examinare dimissum.

**E**piscopus quoscumque suos Clericos, præsertim in sacris constitutos, absque suo præcedenti examine, & commendatitijs litteris, quacumque auctoritate promotos, licet tanquam habiles ab eo, à quo ordinati sunt, probatos, quos tamen ad diuina officia celebranda, seu Ecclesiastica Sacramenta ministranda minus idoneos, & capaces repererit, à susceptorum Ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, suspendere, & illis, ne in altari, aut aliquo Ordine ministrent, interdicere possit.

Suprà cap. prox. & infra sess. 23. de re totm. c. 8.

1. **C**um infra sess. 23. de reformat. cap. 3. Concilium Episcopis interdixit ne subditos suos aliter quàm probatos, & examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittat, ideo hoc decretum procedere quando propter absentiam, vel aliud legitimum impedimentum examen ab Ordinario fieri nequit, affirmat Salzed. ad Bernard. in pract. cap. 21. lit. B. vers. mea tamen sententia, aduertens quod semper Ordinibus initiandus morum integritate, & vitæ probitate Ordinarj testimonio laudandus, & commendandus est; & quod si aliter ab Episcopo fuerit ordinatus, ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum Ordinum executione quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus, infra sess. 23. de reformat. cap. 8.

2. Examinatos, & probatos ad sacros Ordines à prædecessoribus Episcopis nõ comprehendi sub hoc decreto, nisi noua causa post promotionem superueniat, refert decifum Gonzal. ad regul. 8. Cancel. gloss. 4. num. 85.
3. Episcopum non posse examinare promotos à suo antecessore, nisi post promotionem aliqua noua causa su-

peruenit, quod si idem Episcopus aliquos minus idoneos iudicauerit, eos suspendere debere attestantur resolutum Armendar. in addit. ad recopil. legum Nauarræ lib. 1. tit. 18. l. 7. de Episcopis, uum. 69. Aloyf. Ricc. in praxi rerum fori eccles. decif. 390. in 1. edit. aliàs resolut. 329. in fine in 2. edit. Gonzal. d. gloss. 4. num. 8. vbi num. 101. ait, quod quando agitur de admittitione Sacramentorum, vel cura animarum exercenda, tunc Presbyter curâ animarum exercens, vel Sacramenta ministrans, seu exercere, vel admittitrate intendens, potest examinari ab Episcopo successore, licet ab antecessore fuerit approbatus, & si minus idoneus repertus fuerit, excludi debet, si Rector non sit, & perpetuum titulum non habeat; si verò titulum habuerit, potest suspendi, & coadiutor bene meritus illius expensis apponi.

Vtrum autem possit præful ille, cui examiatatus, & approbatus ordinandus dimittitur, iterum examinare dimissum? vide Campan. in diuers. iuris Canon. rubr. 9. cap. 8. num. 31. vers. sed ne, Piafec. in praxi Episcop. p. 1. c. 1. nu. 12. pag. 29. quos refero de officio & potest. Episcopi, p. 2. allegat. 7. n. 22.

*Nullus Clericus est exemptus à correctione Episcopi residentis etiam extra visitationem agentis, tanquam sit deputatus à Sede Apostolica.*

C A P V T I V.

1. Episcopus non potest ex hoc cap. etiam extra visitationem corrigere, & punire clericos seculares.

exemptos ab Episcopo, & alteri inferiori ordinario seculari intra diocesim exsistentes subiectos.

Barbos. Collect. in Concil. Triid.

I 3 Omnes



<sup>a</sup> Suprà c. 7. & sess. 6. de reform. c. 3. c. irrefragabili in princ. de off. ord.

<sup>b</sup> Suprà sess. 6. cap. 4. de reform. & infr. sess. 24. de reformat. cap. 5.

**O**Mnes Ecclesiarum Prælati, qui ad corrigendum subditorum excessus diligenter intendere debent, & à quibus nullus Clericus per huius sanctæ Synodi statuta, cuiusvis privilegij prætextu, tutus censetur, quo minus iuxta canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi possit, si in Ecclesijs suis resederint, quoscumque sæculares Clericos, qualitercumque exemptos, qui alias suæ iurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus & delictis, quoties & quando opus fuerit, etiam extra visitationem tanquam ad hoc Apostolicæ Sedis delegati corrigendi, & castigandi<sup>b</sup> facultatem habeant; quibuscumque exemptionibus, declarationibus, consuetudinibus, sententijs, iuramentis, concordijs, quæ tantum suos obligent auctores ipsis Clericis, ac eorum consanguineis capellanis, familiaribus, procuratoribus, & alijs quibuslibet, ipsorum exemptorum contemplatione, & intuitu minimè suffragantibus.

**V**ide Franc. Leon. in thesaur. fori eccles. p. 2. cap. 2. num. 62. plures per me citatos de officio & potestate Episcopi, p. 3. allegat. 74. & suprà à sess. 7. de reformat. cap. 8.

<sup>1.</sup> Episcopum non posse ex hoc cap. etiam extra visitationem corrigere, & punire clericos sæculares exemptos ab Episcopo, & alteri inferiori Ordinario seculari intra diocesim existentes subiectos, decisum refert Armen-

dar. in addit. ad recopilat. legum Navarra lib. 1. tit. 6. de visitat. lib. 5. §. 2. num. 9. & Ego ipse d. tract. de officio & potest. Episcopi. p. 3. allegat. 74. num. 4. propè fin. ubi etiam quòd text. in præsentem non derogat consuetudini immemoriali, ex Seraphin. decis. 417. num. 7. nec corrigit Exrrauag. cum Mathaus 3. de heret. inter communes, ex Cened. ad Clementinas collect. 14. num. 9. cum seqq.

### Conservatoria litteræ in quibus vim habeant?

#### C A P V T V.

- 1 Doctores de materia huius cap. agentes.
- 2 Doctores de Conservatorijs, & litterarum conservatoriarum materia tractantes.
- 3 Conservatoria Regularibus concessa non fuerunt sublata ex decreto cap. 20. sess. 24.
- 4 Religiones non habentes Conservatores possunt illos eligere per communicationem privilegiorum cum alijs eos habentes.
- 5 Abbas Ordinis Oliuetani potest eligi in Conservatorem, si Episcopus in Synodo eum deputaverit

iudicem Synodalem.

- 6 Milites Hierosolymitanos non afficit constitutio Gregorij XV. de Conservat.
- 7 Regulares etiam elapso tempore præfixo in constit. Gregorij XV. in Conservat. illos iuxta eius formam eligere possunt.
- 8 Conservatores Regularium procedere an possint contra debitores ex causa civili.
- 9 Conservator ut suspectus recusari potest.
- 10 Conservatoria aliqua non durant post quinquenniū.

<sup>a</sup> Cap. 1. & c. ult. de off. deleg.

**I**nsuper, cum nonnulli, qui sub prætextu quòd super bonis, & rebus, ac iuribus suis diuersæ eis iniuriæ ac molestiæ inferantur, certos iudices per literas Conservatorias deputari obtinent, qui illos à molestijs, & iniurijs huiusmodi tueantur, ac defendant, & in possessione, seu quasi, bonorum, rerum, ac iurium suorum manu teneant, & conseruent, nec super illis eos molestari permittant, eiusmodi litteras in plerisque contra concedentis mentem in reprobam sensum detorqueant: idcirco nemini omnino, cuiuscumque dignitatis & conditionis sit, etiam si Capitulum fuerit, Conservatoriæ litteræ, cum quibuscumque clausulis, aut decretis, quorumcumque iudicium deputatione, quocumque etiam alio prætextu, aut colore concessæ, suffragentur ad hoc, ut coram suo Episcopo, siue alio Superiore Ordinario, in criminalibus, & mixtis causis accusari, & conuenire, ac contra eum inquiri, & procedi non possit: aut quo minus, si qua iura ei ex cessione competierint, super illis liberè valeat apud iudicem Ordinarium conueniri. <sup>a</sup> In civilibus etiam causis, si ipse actor extiterit, aliquem ei apud suos conservatores iudices in iudicium trahere minimè liceat. <sup>β</sup> Quod si in ijs causis, in quibus ipse reus fuerit, contigerit, ut electus ab eo Conservator ab actore suspectus esse dicatur: aut si qua inter ipsos iudices, Conservatorem, & Ordinarium, controuersia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, <sup>γ</sup> Donec per arbitros in forma iuris electos, super suspitione, aut iurisdictionis competentia fuerit iudicatum. Familiaribus verò eius, qui huiusmodi litteris Conservatorijs tueri se solent, nihil illæ profint, præterquam duobus duntaxat, si tamen illi proprijs eius sumptibus vixerint. Nemo etiam similium litterarum beneficio, <sup>δ</sup> ultra quinquenniū, gaudere possit. Non liceat quoque Conservatorijs iudicibus vllum habere tribunal erectum. <sup>ε</sup> In causis verò mercedum, aut miserabilium personarum, huius sanctæ Synodi super hoc decretum in suo robore permaneat. <sup>ζ</sup> Vniuersitates autem generales, ac Collegia Doctorum, seu scholarium, & regularia loca, necnon hospitalia, actu hospitalitatem seruantia, ac Vniuersitatem, Collegiorum, locorum, & hospitalium huiusmodi personæ in præsentem canone minimè comprehensæ, sed exemptæ omnino sint, & esse intelligantur.

<sup>β</sup> Suprà sess. 7. cap. 14.

<sup>1.</sup> Vide Salzed. ad Bernard. in pract. cap. 3. vers. nec possunt, Fr. Emman. quæst. regul. tom. 1. quæst. 65. Gutier. pract. lib. 3. q. 9. Farin. consil. 68. num. 20. Campan. in diuers. iuris canon. rub. 12. cap. 13. num. 24. cum seqq. Aloyf. Rice. in decis. curia Archiep. Neapol. decis. 158. part. 2. Franc. Leon. in thesaur. fori eccles. p. 2. cap. 3. num. 102. cum seqq. Modern. de suppli. cat. ad sanctiss. part. 2. cap. 11. à num. 7. Sanch. in consil. moral.

tom. 2. lib. 6. cap. 9. dub. 5. num. 11. & 12. metipsum de officio, & potest. Episcopi p. 3. alleg. 106. à num. 17.

De Conservatorijs, & litterarum conservatoriarum materia, vide Doctores per text. ibi in cap. 1. de officio deleg. lib. 6. Syluest. in summ. verb. Conservator, Azved. ad tit. 8. lib. 1. noua recop. Mandos. de signatura gratiæ, tit. de Conservatoria, Cabedo diuersorum iuris argument. libro 3. cap. 18. Molin.